



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **QUANTA VENERATIONE** TEMPLUM B. M. V. A  
VISITATIONE, QUOD SURGIT IN URBE PETROVČE,  
IN DIOECESI MARIBORENSI, AD DIGNITATEM BASILICAE MINORIS EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. –  
Quanta veneratione Slovensus populus, historia nobilis, fide nobilior, Beatissimam Virginem Mariam, christianorumque  
decus, sit usquequaque prosecutus, cum multa alia docent, tum etiam templa in eius honorem constructa, solum eius  
nationis fere stellantia. Quae sane, non modo saepenumero splendent, summa arte condita, sed etiam supellectile  
abundant, miro caelata artificio. Accedit profecto, quod manus est, alita tum precibus, tum caerimonii, tum doctrina  
pietas, ut sint vere talia templa sedes ac domicilia colendae religionis. In quorum templorum numero est omnino sacra  
aedes Beatae Mariae Virginis a Visitatione in urbe Petrovče accensenda. Est autem in ea tantae Matris signum  
pulcherrimum lignea materia sculptum, sceptrum in dextera habentis, lievi vero manu Filium sustinentis, quem amabiliter  
intuetur, ut matres consueverunt. Nimirum Matris illius benignitas, quae tot in discriminibus filiis adfuit praesidium ac  
tegimen, id effecit, ut Slovensus populus semper templum illud augustum frequentaverit et frequentet, filiorum more. Qua  
re, cum Venerabilis Frater Franciscus Kramberger, Episcopus Mariborensis, id a Nobis petierit, ut templum illud Basilicis  
Minoribus annumeraretur, Nos, volentes sive petenti Venerabili Fratri benigne facere, sive caelesti Matri obsequium  
praestare eiusque cultum augere, aequo animo admotis precibus concedimus. Iis ergo probatis, quae de negotio Sacra  
Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino, factis a Nobis facultatibus, statuerit, placet templum Petrovčense Visitacioni  
B. M. V. sacrum Basilicis Minoribus accenseri, cum iuribus atque facultatibus talium templorum, modo servita sini, quae  
Decretum «De titulo Basilicae Minoris» mandat servanda, die VI Iunii, anno MDCCCCLXVIII, factum. Contrariis nihil  
obstantibus. Quod vero egimus felix, faustum, fortunatumque sit, cum Venerabili Fratri Episcopo Mariborensi, tum cuncto  
gregi fidelium. *Datum Romae, apud S. Petrum, die VII mensis Februarii, anno MDCCCCLXXXIV, Pontificatus Nostri  
sesto.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1984 - Libreria Editrice Vaticana